

CUIUS SUPRA AFRIS DIRECTA DE CAUSIS INFRA NOTATIS.

37v

Victor Romanae ecclesiae urbis archiepiscopus universis episcopis per Africam constitutis in domino salutem.

1

5 Semper enim in aeterno consilio dei mansit humano generi incommutabiliter praeordinata reparatio, sed ordo rerum per dominum nostrum Iesum Christum temporaliter gerendarum dispositione verbi divini sumpsit exordium.

2

10 Quapropter oportet vos, fratres, unanimes esse et adminiculum vicissim ferre, in recta ergo fide et in sacramentis divinis non discrepare, sed concordare esse, quia licet pauci sitis malorum comparatione, si tamen concordare fueritis, facile auxiliante domino vestros insidiatores superabitis. Si vero discordes, quod absit, fueritis, non superabitis, sed superabimini. Perlatum est enim ad sedem apostolicam aliquos vestrum nocere fratres velle et, ut cadant, decertare, similiter in sacramentis discrepare, et ob id contentiones et aemulationes inter vos fieri. A quibus dissensionibus vos avertere et in his omnibus concordare et opem ferre vicissim mandamus. Nam si hoc agere cito neglexeritis et vicissim reconciliari non studueritis, ab apostolicae sedis et totius ecclesiae communione vos pellere non dubitetis.

3

20 Nec attenditis, carissimi, qualiter dominus per Isaiam prophetam comminatus est dicens: Dominus enim locutus est verbum hoc: Luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae, et terra interfecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus in sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram. Et peccabunt habitatores eius, ideoque insanient cultores eius et relinquentur omnes pauci. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui laetabantur corde, cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo cytharae cum cantico, non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam, attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnis laetitia, translatum est gaudium terrae, relicta est in urbe solitudo et calamitas opprimet portas, quia haec erit in medio terrae, in medio populorum, quomodo, si paucae olivae, quae remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam atque laudabunt, cum glorificatus fuerit dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate dominum et in insulis maris nomen domini dei Israel.

4

35 Et dominus in oratione, quam discipulos suos docuit orare, ait: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. In bonis et iustis hominibus sanctificatur nomen domini et in malis blasphematur. Et ipsa per se veritas ait: Si offers munus tuum ad altare et recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et postea offeras munus tuum. Nulli vero liceat doctrinam evangelicam deserere et sacerdotali honore gaudere.

5

40 Data Kl. Septembris Laterano et Rufino vv. cc. cons.

6